

termino, probet Apostolus *Ebr. I. 3. 5. Christum esse effigiem gloriae & characterem Essentiae Dei*, qui sensus ex allegatis parallelis aeternitatem non solum officii, (quod fingit Calv. in comm. hujus Psalmi, quem refutatum vide *Tom. 2. oper. Hunnii. p. 838.*) sed etiam aeternitatem Essentiae & personae, quod patet ex collatione dictorum *Ebr. I. & V. cum Actor. IV. 25.* ubi nihil de generatione sive constitutione officii, nec non *Apoc. II. 27.* ubi de communicatione majestatis, *c. XIX. 13.* ubi de majestate vere divina. Neque verò aeternus valor officii mediatorii privativè opponendus est aeternitati personae, sed juxta Apostoli argumentationem *Ebr. V. 6. aeternitas Sacerdotii*, sive officii necessariò praequirat aeternam existentiam Sacerdotis. VI. Denique per filiationem hanc non intelligi adoptivam filiationem, aut solam filiationis declarationem, quod Calvinus & Sociniani ex *Actor. XIII. 33.* contendunt, facile ostenditur ex oppositione hujus Filiationis & filiationis angelicae & humanae, ex attributis hujus filiationis paulò antè ex hoc Psalmo recensitis. Neque verò quando *Actorum XIII.* dicitur impleta filiatio Christi in resurrectione ejus, negatur eò ipso non extitisse, illum Filium ante Resurrectionem, sed Deus dicitur *ἐκπεπλήρωσε* ad supremum fastigium deduxisse quoad notorietatem & innotescentiam, in quod *Psal. II.* dicitur: *Filius meus es Tu*: Non sequitur autem quo tempore Filiatio Christi plenè innotuit, eo demum cœpit. Notavit Petavius *Tom. 2. l. 2. c. 7. §. 15. dogm. theolog.* verba ista, quæ leguntur in editione Veneta *Commentarii R. Salomonis & Abenesra in Psal. 2.* nempe hæc verba: *Filius meus es tu*, exponenda esse de Davide ad respondendum hæreticis. i. e. in odium hæreticorum resecta & truncata esse ab editione Basiliensi A. 1566. ne videantur Judæi corrumpere testimonia V. T. in odium nostrum.

## ARTICULUS IV. DE SPIRITUS SANCTI PERSONALITATE.

### §. XII.

**H**Æc, quamquam ex N. T. facile & eodem negotio evinci possit, quo Patris personalitas Sociniana indubia evincitur, ut *1. Joh. V. 7. Tres sunt &c.* qui Masculinus non potest de Subjectis aliis res divinas testificantibus, quàm personis intelligi: In V. tamen

C

T. res